



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd populo non liceat per se sacerdotum facere electiones. x.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius: Deus verus ex patre, homo verus ex matre: carnem ex matris visceribus habens, & animam humanam rationalem: simul in eo vtrunque naturam, id est, hominis & Dei, persona vna, vnus filius, vnus Christus, vnus dominus creaturarum omnium quæ sunt, & authorem, & dominum, & creatorem cum patre & spiritu sancto omnium creaturarum. Qui passus sit vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione, & vera animæ resumptione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos. Querendū etiam ab eo, si noui & veteris testamenti, id est, legis & prophetarū, & apostolorum, vnum eundemque credat authorem & dominum. Si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium suum factus sit malus. Querendum etiam ab eo, si credat huius, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem. Si credat iudicium futurum, & recepturos singulos pro his quæ in hac carne gesserunt, vel pœnas, vel præmia. Si nuptias non improbet. Si secūda matrimonia non condemnet. Si carniū perceptionem non culpet. Si pœnitentibus reconciliatis communicet. Si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale cōtractū, quàm illa quæ voluntari admitta sunt dimittat, si extra Ecclesiam catholicam vllus saluetur. Quum in his omnibus examinatus, plenitèrque instructus repertus fuerit, tunc ordinetur Episcopus.

Ut Episcopi diligentissimè probentur, antequam ordinentur. Caput IX.

Ex cōcil. Aurelia. cap. 12. **V**T Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorū Episcoporum qui circumcirca sunt, prouehātur ad ecclesiasticam potestatem, hi videlicet, qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quàm rectæ conuersationis exemplo.

Quod populo non liceat per se sacerdotum facere electiones. Cap. X.

Ex cōcil. Bracarē. cap. 1. **N**ON liceat populo electionē facere per se, eorum qui ad sacerdotium prouocātur, sed in iudicio Episcoporum esse debet, vt ipsi eum, qui ordinandus est, probent, si in sermone & fidē, & spiritali vita edoctus sit.